Quelle: https://manuscripta.at/?ID=468
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

issemus. Isti possederunt montem domini
conscientia habitantis in se Christi lo-
quentes. Accessimus ad Syon montem
et civitatem dei viventis, Hierusalem cele-
stem. Sive montes eius, de quibus in
psalmis canitur: Montes in circuitu
eius, et dominus in circuitu populi sui. Et funda-
menta eius in montibus sanctis. Possidebit
autem Syon electus domini, et habitabunt
in ea servi eius, de quibus in eodem volu-
mine scribitur: Semen Abraham servi
eius, filii Iacob electi eius. Quicumque ergo
adhuc semen est, nec formatus in filium,
iste servus est domini, cui dicitur in evangelio:
Scio quia semen Abrahe estis, sed nec dum
filii. Si enim filii essent Abrahe, opera
utique Abrahe facerent. Qui autem filius
iste et electus est domini. Unde electus possi-
det Hierusalem, et servi habitabunt in
ea. Et de filiorum ac servorum differentia
dicitur: Non accepistis spiritum servitutis ite-
rum in timore, sed spiritum adoptionis.
Et erunt inquit campestria sive
saltus in caulas gregum. Pro campestri-
bus in hebreo saron ponitur. Omnis
regio circa Liddam et Ioppen et Iam-
niam apta est pascendis gregibus, de
quo et in actibus apostolorum scriptum est. Sal-
tus autem vertentur in ovilia iuxta il-
lud quod in psalmo canitur: Vox domini preparan-
tis cervos, et revelabit saltus sive con-
densa silvarum, ut latrones ibi latitare
desistant, et bestie venenataque anima-
lia, et loca quondam insidiarum et san-
guinis in ecclesias domini transeant, et pas-
cantur ibi greges ab eo qui posuit
animam pro ovibus suis, et de quo scriptum

est: Ipse pascet nos in secula. Ista vox
domini perficiens cervos, et revelans conden-
sa silvarum, per Iohannem clamabat in here-
mo: Iam securis ad radicem arborum posi-
ta est. Omnis arbor que non facit fruc-
tum bonum excidetur, et in ignem mittetur.
Et iterum: Omnis vallis implebitur. De qua
et nunc dicitur: Et vallis Achor in cubile armen-
torum, et in requiem populo meo, qui re-
quisierunt me. De qua in libro Iesu filii
Nave legimus, quod ibi interfectus sit Achar,
qui furatus est de anathemate et de
spoliis Hiericho, et cum omni domo sua
interfectus, atque ex eo quod turbaverit
populum, locus ipse in quo hoc accidit
Achor, id est turbationis ac tumultus
nomen accepit. Vallis ergo in qua quondam
(vel interfectio) meditacio fuit, atque supplicium, erit in
armentorum requiem. Que Paulus edis-
serens ait: Numquid de bubus cura est
deo? An utique de nobis dicitur? Quia de-
bet qui arat in fide arare, et qui terit
aream in spe terere eam ut participetur.
De hac valle et in Osee mystice scrip-
tum est: Loquar ad cor eius, haud du-
bium quin Hierusalem, et dabo possessores
illius inde et vallem Achor ut aperiat
intelligentiam illius. Idcirco enim
vallis Achor in possessionem traditur
armentorum populi dei, et saltus vertuntur
in caulas gregum, ut aperiatur intelli-
gentia, et domini veritas cognoscatur. Et
vos qui dereliquistis dominum, et obliti
estis nomen sanctum meum, qui ponitis
fortune mensam, et libatis super eam,
numerabo vos in gladio, et omnes in
cede corruetis. LXX. Vos autem qui